11

DEO OPTIMO MAXIMO
VIRGINIQUE MATRI.
QUÆSTIONES MEDICÆ.

XI.

QUÆSTIO THEORICA.

An remedia narcotica refrigerando, ſomnum inducant?

I

QUID Somni, quid vigiliæ nomine, quorum alternâ viciſſitudine vigere & perennari œconomiam animalem experimur, veniat intelligendum, ad pleniorem propoſitæ Quæſtionis intelligentiam explanemus, ordo poſtulat. Liberum ſenſationum internarum exercitium, organorum tenſio, & ad impreſſiones ab externis corporibus illatas ſuſcipiendas necnon cerebro communicandas aptitudo, motus voluntarios exercendi potentia, quæ vigiliam in ſanis conſtituunt, fibrarum emporii tenſionem, elaſticitatem, ſpirituum animalium præſentiam, liberumque ipſorum tum à cerebro ad partes influxum, tum à partibus ad cerebrum refluxum ſupponunt. Si flaccidæ ergo & collapſæ emporii fibræ elaſticitate defraudentur, ſpiritus ad ſenſationes & motus efficiendos inſufficientes fuerint, vel libera ipſis non pateat via, ſenſationes feriari internas, externis deſtinata flaccida, languida, otioſa torpere organa, motibus quoque voluntariis orbari, in ſtatu vigiliæ oppoſito ſomni nomine deſignato, verſari corpus, ex tradita doctrina conſectarium. Cur vigiliæ ſomnus, ſomno rurſus vigilia ſuccedat quærenti, perpetuum quod in vigilantibus fit ſpirituum animalium diſpendium rem dilucidat; ut enim varii variarum partium motus, diverſaque præſtari queant munia, continuo ſpirituum affluxu tendantur organa neceſſe: at diu jugi & continuo ſpirituum affluxu tendi nequeunt organa, quin ſpirituum diſſipatio ipſorum ſecretionem exceſſerit, unde ſenſim minuitur, ac pauciſſimus tandem fit ipſorum in partes influxus, ſenſim flacceſcunt & collabuntur organorum, cerebri in primis mollioris viſceris fibræ: collapſis vaſorum cerebri fibris, ſanguis in illis difficilè provolotus hæret, ipſaque ita ampliat, ut jam flaccidas ob ſpirituum penuriam emporii fibras comprimendo relaxent ulteriùs, nervorumque pariter comprimant origines. Coarctatis nervorum orificiis ſpiritus ut antea in partes influere nequeunt, feriantur ob collapſarum emporii fibrarum laxitatem, ſenſationes; ſpiritibus orbata otioſa torpent ſenſuum organa, muſculi languidi, molles, motu libero deſtituti conſpiciuntur, ſive ſomnus adeſt, donec ſpiritus, elapſis aliquot horis, ſat copioſi fuerint ſecreti qui collapſis fibris & organis, priſtinam conciliare tenſionem, necnon varios variarum partium motus ciere poſſint. Si quis ſanguinem ob maximam ſeroſitatis ſuæ inter vigilandum deperditionem ſpiſſiorem factum, ac conſequenter in mollioribus & minus elaſticis cerebri capillaribus aliquatenus hærentem cum prædicta à ſpirituum defectu oriunda laxitate non parùm concurrere dixerit, non habebit me repugnantem.

II

EX tradito quo inducitur ſomnus mechaniſmo, pluribus, diverſis, imò & contrariis cauſis induci ipſum poſſe evidenter patet, quarum nonnullas tantùm in præſenti Quæſtione examini ſubjiciendas cenſemus, de ſoporoſos affectus inducentibus in ſequenti Quæſtione acturi. Frequentiores itaque ſomni naturalis cauſæ ſunt, exercitia, evacuationes: A calore etiam & frigore, diverſo planè ordine agentibus ſomnum induci, nemo neſcit. Advertendum inſuper humido ac pituitoſo gaudentes temperamento minùs cæteris eſſe vigilaces; indeque, cæteris paribus, fœminæ viris, fœtus infantibus, infantes adultis, adulti ſenibus liberaliori indulgent ſomno. Reſpirationem cordis diaſtolem & ſiſtolem vermicularem inteſtinorum motum in dormientibus peragi, non eſt cur mireris; ſummus nempe rerum opifex, cujus vel in minimis nunquam ſatis miranda ſapientia ac prudentia eſt, hominis conſervationi ſemper invigilans, nervos reſpirationis, organa & præfatas partes proſpicientes, cerebello, cerebro ſubſtantiâ firmiori, cavitatibus deſtituto, à ſinuum preſſione immuni, ipſiuſque cerebri contra preſſionem meningum plicaturis munito implantavit. Neque ſomnum ſoli ſpirituum reparationi conducere credideris; ea etenim eſt corporis humani machinæ hydraulicæ ſtructura & organiſatio, ut perpetuum propter continuam ſolidorum in contenta fluida preſſionem, reciprocamque fluidorum in ſolida reactionem fiat ſubſtantiæ ipſius propriæ diſpendium, idque majus futurum, ſi cum prædictis cauſis varii, quibus vigilantium agitatur corpus motus majorem ſolidorum abraſionem inducentes conjungantur, apud omnes in confeſſo eſt. Dum ècontra corpore ad quietem compoſito dormitamus, non minor ſolùm fit partium abraſio, ſed paccato & uniformi quo donantur fluida motu, ſucci nutritii quieſcentium ſolidorum ſcrobiculos ſubeuntes, jacturas faciliùs reſarciunt; hincque nutritionem ſomni tempore meliùs peragi dictat ratio, eorum qui ſomno liberaliùs indulgent ſaginatio firmat. Luberet ſanè plurima alia ſomnum comitantia, vel ab ipſo pendentia phænomena explicare; ſed ad hypnoticorum remediorum agendi modi explicationem properemus, ſtrictiores Theſeos limites urgent.

III

QUEMADMODUM concinnam œconomiæ animalis harmoniam debito & naturali ſomno foveri cernimus, ita ſi ipſe adeò brevior vel protractior fuerit, ut ſtatutos limites vel nuſquam attigerit, vel cum notabili functionum læſione tranſierit, plurima inde ſubſequi damna, nimis frequenti comperimus experientiâ. Unde ſalutifera Medicina, quæ remedia impendentibus præcavendis, præſentibus amovendis malis præſentia ſemper habet, non unicâ ſomnum præternaturalem curat methodo, necnon medicamina pervigilium ſanantia hypnotica dicta ſubminiſtrat. Horum agendi modum enodemus, propoſita nobis Quæſtio imperat. Plurima licèt ſint ea quæ diverſa remedia ſomnum accidentaliter conciliantia, qualia ſunt anodyna, topica varia, refrigerantia, &c. ne conſuetos limites Theſis exceſſerit, de iis tantùm quæ propriâ quâ pollent virtute ſomnum conſtanter inducunt agemus; qualia ſunt Papaveris ſyrupi, aquæ, Opium, Laudanum, cæteræque Opii præparationes; quin etiam quoniam Opium nihil aliud eſt quàm ſuccus per expreſſionem ex capitibus & foliis Papaveris in Ægyptia & apud Græcos creſcentis extractus, ſi ejus agendi modum explicuerimus, præſenti Quæſtioni feciſſe ſatis arbitramur. Non parùm ſollicitos hujuſce phænomeni explicatio tenuit majorum noſtrorum animos: nonnulli eò præcipuè quòd refrigerantia medicamina parte ſuâ gelatinoſâ ſomnum nonnunquam inducant argumento ſuffulti, Opium pariter glutine quodam ſpiritibus coagulandis idoneo ſomnum inducere contendunt. Nos autem Opium methodo ſuperiùs traditæ ſomni & vigiliæ theoriæ, necnon phænomenis ipſo aſſumpto apparentibus magis congruenti agere opinamur; ſanguinem nempe integrantibus Opii particulis tenuiſſimis ſummèque activis expandi & rarefieri exiſtimamus, ſic expanſum & rarefactum ſanguinem vaſa dilatare, eaque ad frequentiores & validiores contractiones ſtimulare, quibus expanſus, æſtuans & rarefactus ulteriùs ſanguis minùs elaſtica cerebri vaſa dilatando, fibrarum emporii, nervorum originum, ipſorumve ſpirituum ſecretoriorum vaſorum compreſſioni conducendo, ſomnum conciliat. Hunc genuinum eſſe Opii agendi modum confirmat, qui aſſumpto Opio percipitur corporis calor, confirmat pariter plenior & frequentior pulſus. Turcas inſuper ut fortiori ſint animo, & viribus valeant, Opium ante prælium comedere; nonnullos etiam noſtra in Gallia aſſumpto Opio vegetiores & alacriores fieri notum omnibus eſt.

Ergo remedia narcotica non refrigerando ſomnum inducunt.

QUÆSTIO PRACTICA.

An Apoplexiæ venæ jugularis ſectio?

I

SI præter naturam intenſa fuerit cauſa, fibras emporii nervoſque comprimens, diverſi exinde ſomni præternaturalis gradus, ſeu varii ſubſequentur affectus ſoporoſi, diverſis pro vario intenſionis gradu, variaque comitantium ſymptomatum caterva nominibus inſigniti, quorum infenſiſſima Apoplexia tunc adeſſe dicitur, cùm repentè ſenſus interni & externi, motuſque voluntarii abolentur cum partium laxitate, pulſu plerùmque forti, difficili ſaltem aut ſtertente reſpiratione. At quoniam ſenſationes internæ & externæ, motuſque voluntarii, nonniſi tenſis emporii fibris, tenſiſque pariter nervis exercentur, proxima Apoplexiæ, in qua abolentur, cauſa in fibrarum emporii, nervorumque à cerebro præſertim naſcentium laxitatem eſt refundenda. A maximo, licèt & æquali cerebri *infarctu*, compreſſarum emporii fibrarum relaxatio, nervorumque à cerebro naſcentium ab æquali compreſſione pariter laxitas, Apoplexiæ inducendæ compar ferè ſemper inducatur, à compreſſione etiam ſolis ſpirituum animalium ſecretoriis vaſis ipſorum cavitatem pœnitùs delente, ab hærente in vaſis vicinis ſanguine illata ſobòleſcere Apoplexiam poſſe cenſemus; cui tamen ſanguinis in hiſce vaſis hærentiæ, ni citò tollatur, maximum & æqualem cerebri *infarctum* ſupervenire credimus. Sanguinis autem in vaſis cerebri ſtagnationi anſam præbere valent, quæcumque tantam ad cerebrum determinant ſanguinis copiam, ut vaſorum ita exceſſerit diametrum, ut per congeneres venas pari proportione quâ ad cerebrum appellit, ad cor reduci nequeat, ipſiuſve diatheſim adeò pervertunt & inquinant, ut per minùs elaſtica cerebri vaſa difficilè provolutus hæreat: unde plethora, ſuppreſſæ evacuationes, præpeditus, compreſſis aortæ deſcendentis ramis, per inferiora ſanguinis circuitus, quæ craſſam, ſpiſſam, pituitoſam, inertem efficiunt ſanguinis conſtitutionem, ſanguinis in cerebri vaſis hærentiæ conducendo, Apoplexiam ſæpe pariunt. Quibus æſtuans nimiùm & rarefactus addi poteſt ſanguis, ut & humores etiam extra vaſa effuſi, corpora intra cranii cavitatem præter naturam nata aut vi intromiſſa, &c.

II

QUANDOQUIDEM cognitis proximâ Aoplexiæ cauſâ, & iis quæ de ſomno & vigilia in præcedenti Quæſtione fuere prolata; cur ſenſationes cum internæ, tum externæ, motuſque voluntarii in apoplecticis aboleantur cum partium laxitate, vel leviter attendenti facilè innoteſcit, horum Apoplexiæ ſymptomatum explicationi, ne jam coctam videamur nauſeabundè recoquere crambem, conſultò ſuperſedemus. Cor inſuper & reſpirationis organa à cerebello in Apoplexia plerumque illæſo, vel ſaltem cerebro minùs læſo, nervos habere dictum eſt; pulſum itaque & reſpirationem in Apoplexia correptis remanere non mirandum. Inſtante tamen Apoplexiâ ideò pulſus naturali plenior & fortior plerumque deprehenditur, quòd ſanguine à laxarum partium vaſculis ægrè admiſſo, & per ipſa difficilè voluto, major ſolito ipſius quantitas in majoribus aggeratur arteriis: unde major ipſarum dilatatio, cui par reſpondet contractio. Ab eodem etiam ſanguine in pulmonum vaſis difficilè provoluto, aut cerebelli læſione, laborioſam deducimus apoplecticorum reſpirationem; ſtertorem verò ab apoplecticis editum aëri ad laxas & depreſſas laringis cartilagines allidenti tribuimus. Per tradita eſſentialia Apoplexiæ ſymptomata, haud ægrè à cæteris affectibus dignoſcitur ultimus hic affectuum ſoporoſorum gradus: in caro etenim & comate liberior eſt quàm in Apoplexia reſpiratio, carotici inſuper & comatoſi clamore vocati oculos aperiunt, puncta membra retrahunt; interrogati etiam reſpondent comatoſi, apoplectici non item. Neque cum veterno confundi Apoplexia poteſt; ab illo enim affectu per febrem lethargo eſſentialem dignoſcitur, præterea delirant & loquuntur lethargici. A Catalepſi quoque præcipuè differt Apoplexia, quòd catalepticorum membra, quem invadente morbo obtinebant ſitum, retineant, cum obſequio tamen in eis ſitus concipiendi quoſvis poſſibiles ab adſtantibus imprimendos, apoplecticorum ècontra laxentur artus. In ſyncope ſummè imminuitur, vel ad ſenſum aboletur pulſus; magis etiam quàm in Apoplexia læditur reſpiratio. Ab Epylepſia demùm & paſſione hyſterica diſtinguitur, per convulſiones his affectibus eſſentiales. Sanguinea Apoplexia à ſeroſa, cognitâ ægri temperie, ætate, tutiùs per comitantia ſigna dignoſci poteſt; ſanguineam nimirùm denotant faciei rubedo, extumeſcentia, corporis calor: in ſeroſa facies pallet, pulſus mollis, languidus, corpus tactui frigidum, deprehenduntur. Magnitudo Apoplexiæ à ſymptomatum vehementia eſt deducenda; ſumma nempe reſpirationis præcluſio cum profundo ſtertore, pulſus debilis, facies livida, decolor, ſpuma circa os collecta cum ſudore frigidiuſculo fortem, prædictorum abſentia vel levitas minùs fortem indicant Apoplexiam.

III

APOPLEXIAM juxta *Hyppocratem* levem tollere difficilè, fortem impoſſibilè; periculoſiſſima itaque hujus affectûs imminentem minitantis necem, inſtituenda eſt prognoſis: major tamen juvenibus, ſanguineis, athletico gaudentibus temperamento affulget ſalutis ſpes, quàm ſenibus, pituitoſis, infirmis. Alicujus partis muſculoſæ paralyſim, hemyplegiam, paraplegiamve, ſtuporem, fatuitatem ſoluta ferè ſemper relinquit Apoplexia. Peracuti hujus affectûs gravitas quanti ſit momenti ipſi quàm citò fieri poteſt mederi ſatis indicat. Ab ictu aut capitis vulnere inductam Apoplexiam ſolo trepano ſanabilem ~~Lypis~~ & tonſoribus notum. Plurima non levis efficaciæ ad debellandam Apoplexiam ex Pharmacia depromi medicamina, qualia ſunt emetica, cathartica, cardiaca, ſtimulantia, acria etiam clyſmata apprimè novimus; horum agendi modus interroganti exponetur; de propoſiti remedii examine tantùm ſolliciti: An venæ jugularis ſectio profligandæ Apoplexiæ, & quâ ratione conducat, hîc perpendemus. Sanguinis miſſionem tum *evacuatoriam*, tum *revulſivam*; ſed *revulſivam* in primis, modò parciori, liberaliori modò manu celebratam, ad curandam Apoplexiam maximæ nonnunquam eſſe efficaciæ dictat ratio, firmat experientia; imminutâ namque per *evacuatoriam* cruoris miſſionem ſanguinis quantitate, minori copiâ ad cerebrum defertur ipſe ſanguis; minori copiâ ad cerebrum appellens ſanguis infarcta vaſa ut antea non ita diſtendit, in contentum hæc validiùs agere ſanguinem, ipſumque repetitis oſcillationibus in appenſas venas propellere, ac conſequenter ſe ab hærente ſanguine liberare queunt. At feliciùs ideò *revulſivâ* ſanguinis miſſione curari Apoplexia poteſt; quòd non *evacuatoriæ* modo gerat vices, ſed uberiorem etiam ſanguinis copiam ad inferiora determinando, ipſius *evacuatoria* potentiùs ad ſuperiora minuat appulſum. His autem ſi incaſſùm adhibitis ſanguis in infarctis vaſis ita impactus hæreat, ut nec ipſorum motu contractili, nec repetitâ vaſorum vicinorum contractione in venas protrudi poſſit, unica tantùm ſupereſt ſalutis ſpes, *derivativam* puta ſanguinis miſſionem; ſectâ ſiquidem jugulari majori copiâ & celeritate appellens ad cerebrum ſanguis vaſa dilatando, & ad validiùs oſcillandum ſtimulando, tum contra hærentem & impactum ſanguinem, appulſu ſuo impetum faciendo, ipſum à ſede dimovere, in appenſas venas propellere; quam proinde nec *evacuatoria*, nec *revulſiva* ſanguinis miſſio curare potuerant, Apoplexiam, tollere valet. Unde concludimus:

Ergo Apoplexiæ venæ jugularis ſectio.

Lippis

11

ASSERTIONES.

Corpus humanum ubique tranſpirat.
Famis ſedes ventriculus.
Membrana pituitaria olfactûs organum.

PROBLEMATA.

An vir ſtudioſus ſtudio delectetur?
An ſanguinis transfuſio utilis?
An patrum mores cum ſanguine ad natos tranſeant?

PARADOXA.

Homo ſine reſpiratione vivit.
Sanguinis officina jecur.
Lingua ad loquelam non eſt neceſſaria.

Has Theſes (Deo Optim. Maxim. & Virgine Dei-Parâ faventibus, *pro adoptione in Facultatem Medicam Pictavienſem propugnabit* JOANNES-JACOBUS POITEVIN, *Pictavienſis, Doctor Medicus Monſpelienſis, die ſolidâ decimâ-tertiâ menſis Julii, anno Dom.* 1734.

IN SCHOLIS MEDICORUM.

PICTAVII, Apud JOANNEM FAULCON filium, Academiæ Typographum, è conſpectu viæ Franciſcanæ.